

Mons. Paolo Canonico Ballicino D.D.
l'autore in segno d' stima e d' amicizia

G 49.11

FRANCISCI MARIAE SCEBERRAS

SACERDOTIS MELITENSIS

ELEGIA

MELITÆ
EX OFFICINA G. CUMBO
AN. MDCCCLXXXVII

VICTORIAE
AVGVSTAE BRITANNIARVM REGINAE
MELITENSES VNIVERSI
IMPERIVM QVINQVAGINTA ANNORVM PROSPERE ACTVM
GRATVLANTVR

ELEGIA

O decus, altricis lux o clarissima terrae,
Nostrae pars animae, quae plaga cumque tenet,
Cinge novo frontem, ducunt quem tempora, flore,
Tempora non dominis exoritura malis.
Quid dubitas? Nunc mitte, precor, Victoria, curas,
Nunc agita plenum laetitiaque diem.
Tu nimium felix, patriae quae ducis honores,
Tuque potens nimium, si tua regna vigent.
Sol testis, qui orbis revolubile pondus adegit

Aethereum decies quinque secare viam,
Teque revisit adhuc moderantem jam inde Britannos,
Spargit luce tuas et meliore domos.
Arva Deus dedit horrifico circumdata ponto,
Turbinibus gelidis qua gemina ursa furit:
Ipse dedit prudens alta consistere sede,
Pervigil ut posses lumina ferre procul.
Nam tibi non solum, genuit quos Anglia, nati,
Hiberna, aut quotquot litora scotica habent;
Quos variant linguae at jungis tu mater amore,
Vel quos diversos scindit uterque polus.
Saepe tuae quo cursum etiam flexere carinae,
Lataque velorum terruit umbra duces;
Terruit asperior ne forte veniret ab undis
Perfidiae tandem Mars domitus opus.
At placuere magis jucundae munera pacis,
Ex quibus haud anceps usque triumphus adest.
O vere solers mollire animosque manusque,
Ad fera si populos concitat arma furor!
Nec fugit ut quoque te supplex vocet Afra juventus,
Quo crebro gemitu compleat omne nemus.
Sed te nec genus aut gazae, Victoria, pellunt,
Propitia ut pueris virginibusque adeas:

Non color, aut species et adusti sole capilli;
Sed mens fraude expers atque tenella dies.
Africa, dixisti, non semper inhospita tellus,
Nec tua perpetuum crimina sylva teget.
Vos somnique cibique inopes, vos verbera passi,
Sanguine vos quoties commaculastis humum!
Nunc, pueri, demum, nunc rumpite vincla puellae;
Quo lubet, exemptos ferte critique pedes.
Vestra parentibus en solamen vita manebit:
Sat domino ignoto consuluere manus.
Quisque luat poenas sceleris mercator iniqui,
Vindice me, casset barbara saevities.
Talia tu quondam: rapiunt nec inania venti.
Ignibus ac velis concita puppis adest,
Litora quae circum, portus et flumina lustret,
Devia qui explorent, mittat et ante viros.
Sanguinis insontis rarus nunc raptor et emptor,
Libera servitio jam nova tempora eunt.
Quis tamen inde capit verae praeconia laudis,
Ni potius numeris extenuare paret?
Te celebrarunt quippe, tuo quos ore beasti,
Quive suam gaudent non violasse fidem.
Carmine pulsa novo sonuerunt litora Gangis,

Carmine, quod peperit mox tibi grande decus:
Continuo famae retulit vaga murmura Nilus,
Et geminasse ferunt terque quaterque Nigrim.
Nuncia laetitiae nostras vox venit ad aures,
Non secus ac ripas verberet unda levis:
Tu columen patriae, tu gloria vive nepotum,
Imperii Eoi non peritura salus.
Audis? Quid melius pertentet gaudia mentis?
Quae vox nobilior mitia corda ciat?
Tu columen patriae... quam vere ipsique canemus,
Phoenices quondam, nunc Melite potior!
Moenia consurgunt scythicis ubi clara triumphis,
Relligioque Deo lucida templa dicat.
Insula cara tibi quantum nec torrida Memphis,
Quantum nec Calpe, nec scopulosa Cyprus.
Dejecto vultu memorant haec limina Galli,
Divitiisque sciunt expoliasse nefas.
At tu maternis Meliten complexa lacertis,
Deliciae, clamas, deliciae ecce meae!
Si quando patriae te onerat querimonia nostra,
Ah! patriae nostrae sis, precor, usque parens.
Nulla tuae Meliten capiant sic taedia curae!
Mutua sic pietas crescat utrinque simul!